

quæ nequaquam amplius resolvi in aquam potest: ita ubi vitia in consuetudinem abierunt, vix aut nunquam in lacrymas solvi hominem sinunt. De hac Jeremias, cap. XIII. dicere non timuit: *Si mutare potest Aethiops pellem, aut bardus varietates suas; et vos poteritis benefacere cum didiceritis malum*, q. d. o Juda peccandi consuetudo versa est tibi quasi in naturam, ut nonnisi diffidillime possis resipiscere. Levit. XXV. præceptum fuit, ut qui domum venditam non redimeret intra annum, postea nunquam amplius sibi vindicare posset. Similiter qui intra longum tempus negligit redimere a dæmone animam suam, quid mirum, si in pœnam temeritatis et negligentiae suæ redimere tandem nequeat? Audi Augustinum de hoc lamentantem, l. VIII. confes. c. V. « Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat et constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido, et dum servitur libidine, facta est consuetudo et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas; quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis (unde catenam appellavi) tenebat me obstrictum dura servitus, etc. »

VI. Impudentia, nam verecundia est frœnum avertens a peccatis hominem, qui sublato eo quorsum, nisi in præceps ruit? S. Gregor. in Psalm. I. ponit. dicit: « Illud verum est apertæ desperationis indicium, si verecundia non sequitur peccatum: » et Seneca, in Proverb. « Tunc est, inquit, consummata infelicitas, ubi turpia, non solum delectant, sed etiam placent. »

Sed quid tandem? Nullumne huic desperatissimo morbo remedium? Sane medici etiam desperatis rebus non cessant prorsus adhibere remedia sed faciunt ac suadent quod possunt: unde interdum contigit vim morbi superari: Deo, in quiunt, omnia possibilia sunt: unde fieri potest, ut convalescat æger. Igitur et nos non omnino desperabimus de hujusmodi obduratis. Et primo, dure increpandi, et tractandi sunt quia ipsi duri sunt. Ita monet apostolus Titum, ut Cretenses malas bestias dure increpet: *Quamobrem increpat illos dure*, inquit ad Tit. I. Idem fecit Sanctus Stephanus Judæis: *Dura cervice et incircumcisus cordibus*, etc. Actor. VII. quamvis nullo fructu. At Pharaon tandem strage primogenitorum fractus surrexit de nocte et vocatis Moysi et Aaroni nocte dixit: *Surgite et egredimini, et abeuntes benedicite mihi*, Ex. XII. tametsi paulo post ad ingenium suum rediit.

Secundo, suadenda illis eleemosyna; uti fecit Daniel Nabuchodonosori, ex Dei sententia jam excendi jusso, cum ait: *Quamobrem, rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis*

redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis, Dan. IV. Ubi S. Hieronymus et alii putant eum eleemosynis impretrasse saltem pœnae dilationem per duodecim menses, donec scilicet iterum incidit in superbiam.

Tertio, proponendus illis amor Christi, qui pro ipsis incarnatus, passus est mortuus est. Ita S. Joannes, vel potius ipse Christus per Joannem scripsit cuidam episcopo cæco, pauperi, nudo, id est, prudentia, charitate et virtutibus omnibus destituto: *Suadeo tibi emere aurum ignitum*, Græce habetur ignitum ex igne, q. d. (secundum Alcazar) accede ad fornacem, in qua ardet aurum, id est, accede ad inflammata Christi charitatem, qua pro te homo factus est, interim in passione vermis et non homo, ac denique in morte omnino pro te consumptus est. Quenam esse durities potest, quæ in hac fornace non liquefaciat? Sane obstinatus in sua incedulitate Thomas, ubi manum in fornacem illam Dominicorum vulnerum intulit, illico liquefactus, cessit, et Dominum confessus est. Scimus etiam glaciem quantumcumque duram liquefcere ad solem diei. Ecce non item corda horum liquefcant ad amorem Christi incarnati? Nihil fere durius adamantem reperitur, siquidem incudes et mallei potius dissultant, quam adamantem frangunt; is tamen hinc calido tamen recentique sanguine maceratus rumpi dicitur, licet multis ad hæc icibus adhibitis, Plinius, lib. XXXVII. cap. IV. Quid igitur faciamus duro ejusmodi cordi, de quo dicitur, Zach. VII. *Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem?* Sane si calidissimo Christi passi sanguine cogitato non maceratur nec disponitur ut cedat, quid tandem incipiendum? Addendi meo judicio, ictus aliqui fortissimi. Audivi aliquando a viro docto, adamantem frangi adamante. Quod si igitur tu, o peccator, adamantum cor habes, seco etiam Christum habere adamantem in manu sua, ad te conterendum: *Ipse enim*, Amos, cap. VII. *visus est super murum adamantinum et in manu ejus adamans, juxta translationem Septuaginta interpretum: habet ergo Christus adamantem in manu te fortiorum*, qui aliquando conteret te. Unde sequitur ibi: *Ponam adamantem in medio tui*. Quando vero conteret, nisi cum ad inferos dejicit? Terribile hujus rei exemplum refert vener. Beda, l. V. hist. Anglic. cap. XV. quod hic referam. « Novi, inquit ipse, fratrem, quem utinam non nossem, cuius etiam nomen, si hoc aliquid prodesset, dicere possem, positum in monasterio nobili, sed ipsum ignobiliter viventem. Corripiebatur quidem sedulo a fratribus ac majoribus loci atque ad castigatio-

rem converti admonebatur. Et quamvis eos audire noluisse, tolerabatur tamen ab eis longanimitate ob necessitatem operum ipsius exteriorum: erat enim fabrili arte singularis. Serviebat autem multum ebrietati, et cæteris vita remissoris illecebris, magisque in officina sua die noctuque residere, quam ad psallendum atque orandum in ecclesia, audiendumque cum fratribus verbum vita concurrere conueverat. Unde accedit ibi (quod solent dicere quidam) quia qui non vult ecclesiæ januam sponte humiliatus ingredi, necesse habet in januam inferni non sponte damnatus introduci, percussus enim languore atque ad extrema perductus, vocavit fratres, et multum mœrens, ac damnato similis cepit narrare, quia videret infernos apertos et Satanam immersum in profundum tartari, Caiphæ quoque cum cæteris, qui occiderunt Dominum, juxta eum flammas ultricibus traditum. In quorum vicinia, inquit, heu misero mihi! locum adspicio æternæ perditionis esse preparatum. Audientes hæc fratres, ceperunt diligenter exhortari, ut vel tunc positus adhuc in corpore pœnitentiam ageret. Respondebat ille desperans: Non est mihi modo tempus vitam mutandi, cum ipse viderim, iudicium meum jam esse completum. Talia dicens sine viatico salutis obiit, et corpus ejus in ultimis est monasterii locis humatum: neque aliquis pro eo vel missas facere, vel psalmos cantare, vel saltem orare præsumebat. O quam grandi distantiæ divisit Dominus lucem et tenebras! Beatus protomartyr Stephanus passurus mortem pro veritate, vidit cœlos apertos, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei: et ubi erat ipse futurus post mortem, ibi oculos mentis ante mortem, quo lætior occumberet, misit. At contra faber ille tenebrosæ mentis et actionis imminentे morte vidit aperta tartara, vidit damnationem diaboli et sequacium ejus, vidit etiam suum infelix inter tales carcerem, quo miserabilius ipse desperat salute periret, sed viventibus, qui hæc cognovissent, causam salutis sua perditione relinquunt. Factum est nuper hoc in provincia Berniciorum, ac longe lateque diffamatum, multosque ad agendum et non differendum sceleatum suorum pœnitentiam provocavit. Quod utinam ex hinc etiam nostrarum fiat lectione litterarum. »

Videtis auditores, quorsum tandem tendat res hominum obstinatiorum? Ad desperationem videlicet et impœnitentiam. Hoc sibi voluit Dominus, si S. Hieron. creditus, cum in hodierno evangelio ad obstinatos dixit: *Dico vobis, non me videbitis umodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini*, hoc est, donec resipiscatis ad pœnitentiam, et me invocetis ac benedicatis.

Hoc autem quando obstinatus faciet? Non auditus aliquando historiolam de marito, qui uxorem adigere voluit, ut diceret: « Benedictus Deus, corvis perfectus est? Annon mulier verbera potius mariti sentire et experiri, quam verba hæc proloqui voluit? Idem evenit obstinatis. Vix unquam adgentur ut pœnitentiam agant, Deum invocent et dicant: *Benedictus Deus*. Quid igitur eis expectandum, nisi gehennæ supplicium? Ibi experientur robur et duritatem adamantis indicati. Ibi stabit Christus super murum adamanticum, hoc est, super decretum suæ justitiae, qua eos condemnavit, stabit inquam, velut adamas invincibilis, quia prius ipsi fuerunt adamantes. Stabat hic instar gallinæ convocans eos sub alas suas, at ipsi noluerunt: vocabat per concionatores, at ipsi noluerunt: vocabat per exempla piorum, at ipsi noluerunt: vocabat per beneficia ordinaria et extraordinaria, at ipsi noluerunt: vocabat per flagella, at ipsi noluerunt. Quid faciet igitur his rebellibus? Vice eis rependet. Veniet enim tempus, cum ipsi in inferno desiderabunt unum diem Domini et gratia; sed respondet Christus: *Nolo, non novi vos*. Caveamus igitur, ne gratia Christi destituti in æternum nutritis Agni excludamur.

CONCIO VII.

DOCUMENTA ET MYSTERIA.

- I. Scriptura non ubique clara. — II. Dei misericordia. — III. Dei justitia. — IV. Origo perditionis voluntas mala. — V. Fundere sanguinem innoxium, enorme scelus. — VI. Contra adversarios beneficis pugnandum. — VII. Ad Christum configiendum.

THEMA.

Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos? Matth. XXIII.

Gallinarum hæc industria est ut pro pullis suis escam sedulo conquerant et pedibus exscalpant, eamque cum repererunt, pullis convocatis dividant et comminuant. Eadem industria concionatorum esse debet; ut videlicet pro auditoribus suis cibum animæ querant, eruantque e ss. literis, inventum quoque frangant, ut percipi a rudioribus possit, et ita auditoribus suis propontant. Porro auditorum est, ad vocem gallinarum hujusmodi accurrere et cibum ex earum ore rapere. Quare cum ego quoque ex hodierno evangelio grana aliquot exscalpserim, ea vobis nunc hilari voce depronam: vos arripite.

I. Videate auditores, non esse verum, quod haeretici nostri ganniant, scripturam undique cla-

CONCIO VII.

ram esse: si adeo pellucida est Scriptura, quid sibi vult illa Domini sententia: *Ut veniat super vos omnis sanguis iustorum, qui effusus est, poena debita sanguini effuso a constitutione mundi, si ve a sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariae?* Numquid enim Judæi poenas dederunt aut dare debuerunt sanguinis, quem effudit Cainus, quem effuderunt multi alii ab initio mundi? Habet sane hic quod agant magni doctores, et habuerunt olim sancti patres alioquin illuminatissimi. Varii varia excogitarunt: probabiliores expositiones sunt hæc. Primo, si dicamus Judæos Christi occisores implevisse mensuram patrum suorum, qui prophetas occiderunt, et ita luisse omnium poenas, dum publico excidio respubl. eorum eversa est ob gravissimum homicidium in Christo commissum. Sic ultima gutta cavit lapidem ut ultimum furtum sequitur suspendium. Secundo, si dicamus Judæos ita fuisse punitos ultimo exterminio, ut gravius puniri non possent, licet omnium iustorum homicidia perpetrassent; nec immerito, quia gravius est occidere Christum, quam occidere omnes justos. Ob aliorum iustorum cædes synagoga interdum truncata fuit, sed non radiciter excisa: ob cædem vero Christi penitus excisa. Hoc est, quod Joannes eis prædictit, *Luc. III. Genimina viperarum* (quia patrem vestrum occisi estis) *dico vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ; jam enim securis ad radicem arboris posita est* (scilicet exscindendos vos). Deinde, quis est ille Zacharias filius Barachiae, qui occisus est inter templum et altare? Sane Origenes, Gregorius Nyssenus, Basilius, Euthymius, Petrus martyr, episcopus Alexandr. Epiphanius senserunt ex antiqua traditione, fuisse patrem Joannis Baptiste: sive quod Deipara, postquam genuit Christum in loco virginum collocata sit a patre in templo, sive quod Zacharias prædicari Christi adventum: non improbabili opinione, quam tamen S. Hieronymus apocryphorum somnium vocat. Alii Zachariam penultimum ex minoribus prophetis intelligi volunt, quod etiam non est facile convincere erroris. Alii communius, uti S. Hieron. volunt esse Zachariam illum, qui *II. Paral. XXIV.* scribitur lapidatus esse in atrio domus Domini; factam vero Abelis et Zachariae tantum mentionem, quoniam ex Scriptura non erant, et quia horum sanguis venit super interfatores. Cæterum quia pater hujus Zachariae dicitur Joiadas, non caret etiam periculo hæc sententia, nisi dicamus Joiadam dictum fuisse etiam Barachiam.

Denique, quid illud: *Non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Do-*

mini? Neque enim unus hujus loci sensus efficiatur. Primo, sic intelligi potest locus. Non me videbitis a tempore passionis, donec veniam in iudicio et dicatis volentes nolentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini, etc.* Secundo, sic: Non me videbitis in coelesti beatitudine, nisi me confessi fueritis per fidem, et pœnitentiam egeritis. Tertio, sic: Non videbitis me oculo fidei, donec ultimus temporibus mundi ad me conversi fueritis et dicatis: *Benedictus.* Quis vero vaticinetur, quænam istarum sententiarum sit genuina? Patet ergo Scripturam non esse usquequa claram.

II. Videte Dei misericordiam; ex visceribus enim misericordiae Christi prodierunt illa Christi verba: *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos sicut gallina, etc.* « Quid sibi vult hæc conduplicatio? inquit S. Chrysostomus; miserantis valdeque diligentis hæc orationis figura est. » Deinde, per similitudinem gallinæ amorem suum monstrat, quia majorem præ cæteris affectum gallina erga pullos habet. Denique, non semel sed sæpius congregare voluit filios synagogue sub alas suas: *Quoties, inquit, volui?* Mira Dei misericordia, lamenta et querelas adhibet, cum poenas et supplicia adhibere posset, sub alas suas inimicos vocat ut parcere illis possit. Nimis servare etiam hostes voluit, non perdere, modo ipsi nolent perire. Antoninus Pius imperator dicebat, malle se unum civem servare, quam mille hostes perdere. Atqui Christus ipsos hostes servare quam perdere maluit.

III. Videte etiam Dei justitiam et vindictam suo tempore, vel sero venientem, ob moram gravitate supplicii compensatam. Tarde quidem venit vindicta in Judæos, post annos scilicet triginta octo sed tanto atrocior venit quando civitatem elegantissimam et fortissimam vastavit, filios eorum fame et gladio peremit, reliquos vilis pretio in servitutem vendidit, civitatem solo æquavit, gentem totam e patria sua ejecit et per orbem dispersit, ut esset omnium ludibrii exposta. Diu quidem et multis premonet Deus peccatorem, sed tandem eum deserit certoque exitio relinquit. Sic enim deseruit synagogam, quando ante templi excidium, audita in eo vox a sacerdotibus fuit: *Migramus hinc, teste Josepho, I. VII. de bello, cap. XII.* quæ utique angelorum fuit vox. Ut vero navis deserta a gubernatore in tempestate mergitur, sic contigit reip. Judæorum, et impletum est in illa, quod hic a Christo prædictum: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Quam verus in hoc eventu propheta fuit Christus, tam verus etiam erit in reliquorum peccatorum supplicio sæpius illis prædicto. Pugnat hic Deus cum improbis; quasi fortissi-

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS

mus miles cum tyrone, sinistra tantum manu, quia non statim eos prosternit, sed leviter interdum percutit, et sinit ut respirent et prosperentur, indeque emendentur, postquam intelligere potuerunt, quam varie, quam facile premi a Deo possint. At ubi non emendantur, sed magis indurantur, arripit tandem dexteram et prosternit eos; sic lusit olim diu cum Pharaone, sed ad extremum cum desperatum vidit, eum demersit in mari rubro. Unde S. Gregor. III. pastor. ad mon. XXVII. ait: « Hostes Dei etsi in sinistra ejus proficiunt, in dextra franguntur, quia plerumque pravos vita præsens elevat sed adventus æternæ beatitudinis damnat. »

IV. Videte causam et originem perditionis peccatorum, quæ alia non est nisi perversa eorum voluntas. Voluit enim Christus multoties eos congregare et salvare, sed ipsi noluerunt; hinc et perierunt: nemo perire potest, nisi ipse velit. Quemadmodum in paradiiso nihil nobis nocere potuissest serpens pomiveti illecebra, Evablandiens, nisi Adam concessisset et comedisset; ita nihil nobis nocere potest diabolus tentans, mundus alliens, caro blandiens, nisi voluntas assentiatur. Vicissim licet Deus mille modis vocet nos et excitet, si nolimus vocantem sequi, certam incurremus damnationem. Id S. August. lib. II. de precat. mer. et remiss. cap. V. hanc similitudinem declarat: sicut corporis oculus non adjuvatur a lumine si oculum claudas, aut si eum a luce avertas: ita si te avertas a Deo, cui lumen est, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, aut si claudas mentis oculos, incurres laqueos dæmonum et peribis; si vero te convertas ad Deum, ille tuam mentem illustrabit. Quid non fecit Christus ut Judæos congregaret sub alas suas? Quam paterne illos monet in hodierno evangelio; quantam cladem et desolationem illis hic prædictit? Nihil effectum. Cur? Quia noluerunt. Videre est quandoque homines adeo perversæ voluntatis, ut licet præsentissimum malum, adeoque exitium suum videant præ oculis, nolint tamen inde resilire. Exemplum affert illustre S. Ambrosius, lib. IV. in *Luc. cap. IV.* « Theotimus, inquit, cum gravi oculorum in modo laboraret et amaret uxorem, interdicta sibi a medico facultate coeundi, cupiditatibus impatiens, atque impetu libidinis raptus: Vale, inquit, amicum lumen. » Sciens ergo in æstu libidinis se amissurum oculos, maluit eos amittere, quam libidine abstinere. Non aliter quilibet peccator agit, qui mavult perdere lumen gloriæ, et in tenebras exteriorens incidere, quam cupiditates suas frænare.

V. Videte, quam enorme scelus sit fundere

V. PARS FESTIVALIS.

sanguinem innoxium, quandoquidem is cadit, vindictam clamat et impetrat a Deo super caput effundentis; quemadmodum sanguis Abel super Cain, ita videlicet ut communiter etiam in hac vita puniantur homicidæ simili vel graviore etiam cæde. Hinc naturale quoddam veluti miraculum est, ut si occisor venerit ad cadaver occisi, vulnera sanguinem sudent, idque non tantum fit cum recenter quis occisus est, sed etiam cum a multis diebus, imo ex ipsis nudis ossibus solet interdum crux effluere, ut multoties visum est, quo nimis tantu sceleris reus prodatur et plectatur. Sane cum viperæ invasisset Paulum, gentiles mox dicebant: *Utique homicida est homo hic, qui cum evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere.* Actor. ult. Audiamus exempla gentilium. Aristoteles narrat de statua Mitii ærea, quod ea caddendo obtriderit reum necis Mitii Argivi, dum in foro spectacula ederentur. Macarius Mytilenensis Bacchi sacerdos hospitem in templum seducens occidit; paulo post filii ejus dum volunt patris sacrificia imitari, unus alterum occidit; audiens hoc mater, superstitem, versa in furiam, torre occidit; pater id intelligens matrem etiam jugulavit, ideoque captus et crimen confessus ante publicum supplicium in tormentis expiravit, *Ælian. lib. XIII.* Ibici poetae interfectores prodidere grues, quos ille dum necaretur, supervolantes obtestatus erat veluti vindices. Latrones enim dum grues forte in foro consiperent supervolantes: *Ecce Ibici grues,* inquiunt, ex quo sermone deprehensi et supplicio affecti sunt, *Plut. lib. de loquacitate.* Aliquando etiam canes prodidere suorum dominorum interfuctores; idem de anim. comp. Vultin exempla Christianorum? Joan. Moschus, in prato spir. cap. LXXVI. scribit navigium quoddam, intra quod admissa erat mulier parvula, immotum constitisse in mari diebus quindecim summo omnium navigantium stupore et dolore. Gubernator ad divinam opem confugiens, audiit responsum, ejiciendam mulierem cui Maria nomen. Accitam igitur rogavit, ut scelus suum panderet; illa peremisse se duos filios, ait, ut ad secundas nuptias transire posset, licet irrito conatu. Tunc gubernator mulierem in scapham descendere jussit; moxque scapha quinque in gyrum agitata in imum cum muliere demersa est. Navigium postea magna celeritate ad destinatum locum appulit. Idem cap. CLXVI. scribit de latrone, qui conversus factusque monachus, assidue vidit puerum se insectantem ac dicentem: *Cur me occidi?* Unde petita venia monasterio egrediens urbem ingrediens captus et decollatus est: *Nimirum quicumque effudit humanum sanguinem, fun-*

CONCIO VII.

detur sanguis illius, inquit Deus, Gen. IX. et propterea ibidem in lege naturæ, et postea in lege scripta, Levit. III. vetuit Deus comedи sanguinem animalium, ut rufus ille populus per hoc absterreretur ab effusione sanguinis humani.

VI. Videte quibus armis pugnandum sit in adversarios nostros, amore videlicet et beneficiis. Ita enim Dominus in hodierno evangelio ait, se expandisse alas suas ad recipiendos in gratiam eos, qui prophetas a se missos lapidabant et necabant: idque fecit non solum in veteri lege per prophetas, sed etiam in nova per apostolos suos, et per semetipsum, concionando, orando, mira patrando, et presertim in cruce manus suas expandendo et pro eis patiënto. Hæc ergo nobilissima et divinissima ratio est ulciscendi se de iniiciis, congerendo videlicet carbones amoris, et beneficentiae super caput eorum. Granum hoc ex ore Christi rapuit in primis Sanctus Stephanus, tantæ gallinæ insignis pullus, cum moriens oravit pro suis lapidatoribus. Cui merito accensimus S. Joannem Gualbertum abbatem, cui adhuc sæculo militanti cum armigero suo (ut refert Blasius Melanensis, apud Cur. 42. juli.) Florentiam tendenti, in ipso itinere capitalis ejus hostis (is cognatum ejus occiderat) ex insperato fit obviam loco adeo angusto, ut neutri locus pareret a via deflectendi. Tum vero hostis plane inermis, cum haud dubiam necem sibi paratam cerneret, concepta subito fiducia, ab equo desiliens, humi se prosternit, junctisque cancellatim ad pectus manibus pro Crucifixi amore veniam vitamque sibi precabatur. Compunctus Joannes auditu nomine Crucifixi, panem offert, metum ponere jubet, culpamque ei ex animo remittit. Hoste dimisso Joannes ad ecclesiam quamdam deflexit, cumque ibi coram Crucifixi imagine flexis genibus Christi vulnera contemplaretur, vidit (dictu mirabile) Christi caput ad se inclinari tamquam gratias agentis, quod pro ejus reverentia hosti capitali pepercisset. Joannes autem illa Christi bonitate attractus, protinus relicto sæculo monasterium ingressus est, et tam sancte vixit, ut in numero sanctorum sit.

VII. Videte quo confugiendum sit, cum vagi et dispersi inter insidiās tartarei milvi degimus, ad alas utique Christi, quas erga nos expandit,

CONCIO VII.

sicuti testatur in hodierno evangelio (neque enim erga nos Christianos minor est ejus affectus, quam fuerit erga Judæos.) Quemadmodum ergo tempore diluvii nemo salutem invenit, nisi in arca, tametsi alii alia asyla quæsierunt, vel præaltos montes, vel excelsas turres, vel sublimes ascendendo arbores: ita qui ad Christi alas non se recipit, salutem nusquam inveniet. Peribunt ergo, qui in calamitatibus vel periculis a diabolis præstigiis et præstigioribus opem requirunt, quia in unguis accipitris incident: peribunt, qui ad mundum fugiunt, quia debilis et fallax est. Quoties ergo tribulatio nos apprehendit, quoties tentatio pulsat, quoties dæmon, caro, mundus nobis insidias struit, attollamus in crucem oculos et sub alas Crucifixi nos recipiamus, cum Davide dicentes, Psalm. LX. *Protegat in velamento alarum tuarum.* « Si enim gallina, inquit S. August. in Ps. XC. protegit pullos suos sub aliis, quanto magis tutus eris sub aliis Dei adversus diabolum et angelos ejus? » Imprimis vero, cum morientibus insidiatur dæmon, meminerimus confugere sub alas Domini nostri; cuius exemplum nobis præbuit Sanctus Stephanus, qui adversantibus sibi Judæis velut milvis obsessus, intendentis in cœlum, vidit Christum stantem utpote in auxilium sibi occurrentem. Hujus alas jamjam subiens dicebat: *Domine Jesu, suscipe spiritum meum.* Discite hic optimam moriendi rationem. Primo enim, non de corpore, sed de spiritu curam gerit: contrarium faciunt impii. Secundo, fidem profitetur, Jesum vocans Dominum, scilicet creatorem, redemptorem et salvatorem suum. Tertio, spem in eo desigens, ipsum invocat, meritis suis diffidens: hinc vocat eum Jesum, qui scilicet velit et possit ei salvare. Quarto, per amorem ei animum spiritumque resignat. Denique, non temere salutem sibi certam facit, tametsi martyrum occumbit; sed orat suscipi a Domino, in confusione hæreticorum et similium præsumptuorum, qui sine omni divini judicij timore vivunt et moriuntur, quasi securi de salute. Tales igitur gallina illa celestis sub alas suas recipit, et foveat cœlestium bonorum perpetua dulcedine. quam et nobis largiri misericorditer dignetur.

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

AUCT. RIUM.

CONCIO I.

CORONA GEMMEA S. STEPHANO DEBITA.

Lapides Sancti Stephani gemmæ sunt. — I. Debetur et adamas. — II. Debetur et carbunculus. — III. Debetur ei hyacinthus. — IV. Debetur ei jaspis. — V. Debetur ei saphirus. — VI. Debetur ei smaragdus.

THEMA.

Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.
Psal. XX.

Plinius, lib. XXXVII. cap. IX. refert in locis fulmine tactis reperi gemmas, quæ cerauniae, id est, fulmineæ vocantur, quas Parthorum magi summa diligentia requirunt. Quis non videt, auditores, fulmina quam plurima in S. Stephanum emissa? Quid igitur? Non arbitrabimur in ipso quoque complures gemmas, easque fulmineas reperi? Lapides in eum projectos, mutatos esse in gemmas, easque pretiosas? Ita sane mihi persuadeo. Quare eamus ad S. Stephanum et queramus in eo gemmas illas, et quidem maximo studio, quia maxime nobis proderunt. Stephanus Graece, coronam significat Latine: coronem ergo Stephanum, non jam lapidibus, ut prius impii Judei, sed gemmis pretiosis.

I. Debetur illi adamas. Primo, ob soliditatem et duritiem, quæ nullis malleorum ictibus cedit. Sie enim et Stephanus in fide solidissimus nullis vel legispiritorum argumentis, vel lapidatorum ictibus cessit; unde bene plenus fide et fortitudine, Act. VII. dicitur. Scribit S. Epiphanius, l. de duodecim gemmis, c. IV. summum sacerdotem in v. t. ter in anno adamantem gestasse, in festo paschæ, pentecostes, et tabernaculorum. Qui tunc vario colore apparuit; candido, quasi nivea lucis felicitatem portendens; nigricante, mortes et funera; sanguineo, bella. Idem cernere est in Stephano, qui rationem fidei coram magistratibus reddens, vultumque angeli representans, candidum se exhibuit, honorifice eos compellans: *Viri fratres et patres, audite*, Act. VII. tametsi illi minas spirabant et cædem: *Responsio enim mollis frangit iram*, Prov. XV. At ubi vidit eos animum non advertere, sed persistere in sua pertinacia, sanguineum assumpsit colorem bellum quasi eis denuntians, coepitque increpare eos: *Dura cervice et incircumcisio cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis*, etc. Quia enim fulgura contempserunt, fulmina addidit. Denique,

ubi nec ista profecerunt, nigrum assumpsit colorem, quando flexis genibus jam moriturus oravit pro illis. Tunc enim prostravit Saulum (et forte plures cum eo); qui postquam conversus fuit, synagogæ jugulum fregit. Simillimum quid in more habuit Tamerlanes Scytharum rex, qui civitates obsidens, primo die, candidum vexillum, pacem denuntians; secundo die rubrum, bellum portendens et sanguinem; tertio nigrum, significans exterminium et internectionem, exposuit, propositusque obsessis. Hic more barbaro, S. Stephanus Christiano; qui aptus est vindicandi modus: orando enim pro inimico, mactas inimicum et facis amicum.

Secundo, quia sicut adamus impedit magnetem, ne ferrum ad se trahat, imo cogit attractum jam respire, si ei jungatur, teste Plin. lib. XXXVII. c. IV. sic Stephanus sua oratione pro inimicis fusa, Saulum, qui magnetis instar Christianos trahebat e domibus, etiam ad tribunalia, cohibuit ne id postea faceret, sed ut ipse prædam divideret, coegit. Hanc gemmam qui sibi comparare volunt, dent operam ut eos, qui magnetis instar trahunt ad se et pervertunt animas, impediant seu oratione seu quovis alio modo.

II. Debetur ei carbunculus. Primo, quia carbunculus carbonis instar igniti splendet, etiam de nocte: *Calefactus quoque atritu digitorum vel a sole, paleas et chartarum fila atollit*, ait Plin. l. XXXVII. c. VII. Addit. p. Cornelius a Lap. Apoc. XXI se a Lusitanis fide dignis audivisse, Lusitanis regem in festo corporis Christi præferre in fronte equi carbunculum tantum et tam fulgidum, ut plateam illustrare videatur. Talis est Stephanus, qui cum esset plenus sapientia et Spiritu sancte, mirum in modum illustravit sua sapientia nom. totum modo concilium, sed etiam totam Jerosolymam, imo orbem universum, et imprimis Hungariam, cuius rex Stephanus protomartyris patrocinio ad fidem est conversus (ut in ejus vita 20. aug.) et alius Stephanus junior per ejus intercessionem in utero matris benedictus, apud S. Dam. in vita.

Secundo, carbunculus in acetum ære injectus splendescit magis, et aquis perfusus inardescit, ut Plinius, loco citato refert. Ita Stephanus, cum acerrime a falsis testibus accusaretur, tunc apperebat vultus ejus tamquam angeli stantis inter illos, quasi Deus per hanc angelicum splendorem, innocentiam ejus manifestare ac defendere voluerit. Mox ubi etiam lapidum imbre perfusus